mandatur, qui recurrit ad correspondentem campsoris, seu mandatarium, ut illi solvat pecuniam missam à dante per litteras campsoris. Notat Bellonus *decis.* 1. *num.* 27. Nicolaus Genua *de script. priv. lib.* 3. *post titulum de litteris cambii, & quæst.* 6. *titul. quædam notabilia, vers. contractus cambii*, Filliuccius *moralium quæst. tract.* 35. *num.* 405. *part.* 2. Narbona *in leg.* 13. *titul.* 18. *libr.* 5. *recopilat. gloss.* 2. *num.* 27.

22 Istæ litteræ non habent paratam executionem contra mandatarium, seu eum, cui diriguntur, qui virtute illarum compelli non potest ad solvendam pecuniam in litteris contentam, si ab eo non acceptentur. Verùm si acceptentur coram Notario publico, aut per privatum chirographum recognitum, habebunt paratam executionem contra acceptantem, statuitur de jure Castellæ *in l.* 9 *tit.* 16. *lib.* 9. *recopil.* in speciali casu, & notat Parladorius *lib.* 2. *rerum quotidianarum cap. fin.* 1. *part.* §. 5. *num.* 19. de jure Neapolitano *in pragm.* 1. *cap.* 5. *& in pragm.* 3. *cap.* 9. *&* 12. *de litteris cambii*. Juxta jus commune sentiunt Mascardus *de probationibus conclus.* 990. *litteras cambii num.* 7. Mastrillus *decis.* 9. *& decis.* 221. *num.* 2. *& per totam*, Sigismundus Scaccia *de commerciis* §. 7. *glossa* 2. *numer.* 3. Nicolaus Genua *de scriptur. privat. lib.* 3. *tit. de litteris cambii num.* 67. Gaitus *de credit. cap.* 2. *tit.* 7. *ex numer.* 1483. *junctis num.* 2371. *& sequentibus*, *& num.* 2491. Quibus verò modis possit recognosci chirographum privatum, latè tractat Gaitus *in dict. tract. de cred. cap.* 2. *tit.* 8. *ex num.* 2617. *usque ad num.* 2931. qui refert octo modos, quibus apocha privata recognosci potest, & ibi ad satietatem invenies, quæ pertinent ad recognitionem. De jure Neapolitano circa probationes litterarum cambii per testes ad finem, ut possint executioni mandari, vide *Pragmaticam* 5. *cap.* 4. *de litteriis cambii*.

23 Restat difficultas, an istæ litteræ non acceptatæ à mandatario, seu eo, cui diriguntur, habeant paratam executionem contra scribentem. Et dicendum est, habere paratam executionem contra scribentem, dummodò tamen prædictæ litteræ non acceptatæ protestentur, deinde recognoscantur à scribente, vel probentur, *juxta dict. pragmat.* 5. *cap.* 4. forma autem protestationis traditur à Sigismundo Scaccia *de commerciis* §. 7. *gloss.* 2. *num.* 16. Qua protestatione, & recognitione, vel probatione facta, potest ille, qui dedit pecuniam campsori, & cui litteræ non solutæ, & protestatæ sunt remissæ, habere recursum contra scribentem. & ab eo executivè exigere datam pecuniam. Ita sentiunt Bellonus *decis.* 2. *num.* 36. & 37. *& decis.* 4. *num.* 7. *& decis.* 8. *num.* 19. *& dec.* 50. *ex numer.* 1. Pereira *decis.* 126. *num.* 5. *in fine*, Scaccia *de commerciis* §. 2. *glossa* 5. *num.* 316. *&* §. 7. *glossa* 2. *num.* 4. *&* 5. *& per glossas sequentes*. Paschalis *de viribus patriæ potestatis part.* 1. *capite* 8. *num.* 72. Rovitus *in pragmatica* 1. *num.* 5. 6. *&* 7. *de litteris cambii*. Nicolaus Genua *de scriptura privata lib.* 3. *sub tit. de litteris cambii, ad finem in notabilibus pro coronide materiæ*, §. *scribens litteras cambii*, *&* §. *acceptante litteras cambii*, *&* §. *scribens litteras cambii non solutas*. Atque ita statutum est de jure Neapolitano *in pragm.* 1. *cap.* 5. *&* 6. *& in pragmatica* 5. *dict. cap.* 4. *de litteris cambii*. Verum est eodem jure, *juxta pragm.* 6. *cap.* 4. *eodem titul.* requiri ad habendum regressum contra scribentem, ut is, cui solvenda est pecunia, illam exigat intra terminum præstitutum *à pragmat.* 3. *cap.* 9. *&* 10. *eodem titul.* seu adhibeat diligentiam ad exigendum, & si eam non exegerit, faciat protestationem intra quatuor dies à præsentatione apochæ, vel lapsus termini ad exigendum, seu solvendum. Alioqui protestatione non facta intra hos terminos, denegatur regressus contra scribentem ei, qui exacturus erat pecuniam, & scribens ipse manet liberatus.

24 Ex quo manifestè colligitur, stante eodem jure, imò verò etiam generali consuetudine mercatorum, scribentem litteras non liberari per acceptationem mandatarii, sed potiùs manere obligatum, donec litteræ cum effectu solvantur, ac proinde acceptantem per acceptationem obligari, tamquam fidejussorem scribentis, qui est principaliter obligatus ad prædictarum litterarum solutionem, à qua obligatione non liberatur, nisi solutione sequuta, quæ omnem obligationem dissolvit, *principio instit. quib. mod. oblig. toll.* Quod ita etiam de jure communi servandum, rectè notat Franch. *decis.* 303. Farinac. *decis.* 679. 1. *part. tom.* 2. Bellonus *decis.* 2. *n.* 40. *&* 41. ubi dicit, hanc esse generalem, & notoriam mercatorum Genuensium consuetudinem, Mastrill. *dec.* 221. *ex n.* 17. Ludov. *dec.* 217. *ex n.* 1. Riccius *collect.* 3497. *& collect.* 3853. Fabius de Anna *cons.* 82. *num.* 6. Paschalis *de virib. patr. potest.* 1. *part. cap.* 8. *num.* 70. *&* 71. Rovit. *pragm.* 1. *ex n.* 1. *de litter. camb.* Tepatus *in comp. var. tit.* 366. *cap.* 18. Gratian. *discept. for. tom.* 1. *cap.* 64. *n.* 4. *&* 5. Scaccia *de commerc.* §. 2. *gloss.* 5. *ex n.* 322. Gaitus *de cred. caus.* 2. *tit.* 7. *ex n.* 2377. Nicolaus Genua *de scrip. priv. lib.* 3. *titul. de litter. camb. n.* 76. & post totam materiam *sub tit. quædam notabilia pro coronide hujus materiæ litterarum cambii col.* 2. *vers. Is qui acceptat*. Et ex iis venit rejicienda doctrina Raphael. Cumani, quam refert, & approbare videtur Afflictis *decis.* 353. *num.* 5. quæ eadem videtur fuisse Bart. *in l. singularia* 15. *n.* 19. Jas. *ibid. ex n.* 34. Bellon. *decis.* 4. *ex num.* 13. videlicet liberari debitorem, seu scribentem litteras, postquam campsor, vel mercator promisit creditori se soluturum, & creditor acceptavit.

Ex prædictis infertur resolutio quotidianæ, ac celebris 25
difficultatis, videlicet, cujus periculo cedat damnum decoctionis mandatarii litterarum cambii, seu ejus, cui litteræ diriguntur, qui eas acceptaverit, antequam creditor exigat pecuniam, an, inquam, hoc periculum, & damnum adscribendum sit scribenti litteras, an verò ei, cui litteræ sunt concessæ: in qua Doctores variant. Nam quidam dicunt, hunc casum decoctionis mandatarii post acceptatas litteras importare damnum ei, qui dedit pecuniam campsori, seu mandatori, non verò ipsi mandatori, seu scribenti litteras, qui per acceptationem mandatarii post decocti remansit liberatus. Ita sentit Bald. *cons.* 348. *factæ fuerunt per Borromeum num.* 2. *vol.* 1. *& in l. pro debito* 6. *num.* 2. *Cod. de bonis auth. jud. possiden.* Hippolyt. de Marsil. *in rubr. num.* 307. *Cod. de probationib.* Alexand. *cons.* 94. *ex num.* 3. *lib.* 3. Soccin. *consil.* 64. *num.* 6. *&* 7. *vol.* 3. Surd. *consil.* 145. *num.* 10. *lib.* 1. Joann. Vicent. de Anna *allegat.* 89. *num.* 2. Mascard. *de probat. conclus.* 990. *litteras cambii num.* 8. Petrus Follerus ad Marantam *in prax. part.* 6. *titul. de testium productione*, §. *sextus actus num.* 50. Thuscus *litt. C, concl.* 12. *num.* 2. *&* 3. *& litt. L, conclus.* 374. *num.* 27. Scaccia *de commerciis* §. 2. *gloss.* 5. *ex num.* 293. *ad num.* 299. Nicolaus Genua *de scriptur. privat. lib.* 3. *titul. de litter. camb. ex num.* 72. Afflict. *decis.* 353. *num.* 4. *&* 5. Mastrill. *decis.* 177. *ex num.* 1. Raudensis *decis. Pisana* 4. *num.* 103. *&* 108.

Alii contra sentiunt, periculum decoctionis mandata- 26
rii contingens post acceptatas litteras, sed nondum solutas, pertinere ad scribentem litteras, seu mandantem, non ad creditorem, qui pecuniam dedit cambiandam eo quod per acceptationem mandatarii non liberetur scribens litteras, sed solùm per earum solutionem. Et hæc est verior sententia conformis iis, quæ de litteris cambii hactenùs tradidimus *num.* 24. Quam amplexati sunt omnes Doctores ibi relati, & tradunt Salycetus *in l. si filiusfamilias* 18. *num.* 2. *ff. ad Macedon. & in l. pro debito* 6. *num.* 4. *Cod. de bon. auth. jud. possiden.* Bellonus *dec.* 8. *num.* 17. *&* 18. Rota Romana *diversorum* 4. *part. decis.* 445. Riccius *collect.* 3497. *versicul. Subamplia quod, & collect.* 40. Maresc. *lib.* 2. *variar. resol. cap.* 11. Pereira *decis.* 126. *num.* 5. Ludov. *dec.* 217. *n.* 2. Tusch. *litt. L, concl.* 374. *num.* 76. Mantica *de tacit. & ambig. convent. lib.* 17. *tit.* 8. *ex n.* 12. Gratianus *discept. forens. tom.* 1. *cap.* 64. *ex num.* 6. Gaitus *de cred. cap.* 2. *tit.* 7. *ex num.* 2396. Qua in re Scaccia in duobus locis à me allegatis *supra num.* 24. *&* 25. non satis videtur sibi constans. Pro hac sententia apertè facit de jure communi, textus *in l. si litterarum* 23. *C. de solut.* & de jure Castellæ *l.* 14. *tit.* 15. *part.* 5. *vers. Mas si las palabras*.

Amplia prædictam resolutionem, ut quamvis ille, cui 27
solvenda est pecunia, sit in mora exigendi, scribens litteras non sit liberatus, & adhuc possit contra illum dari recursus illi, qui pecuniam cambiandam dedit, cui non est imputanda mora in exactione, neque scribenti contingit liberatio, donec litteræ cum effectu solvantur. Hanc ampliationem tradit Rot. Roman. *divers. part.* 4. *dec.* 445. *vers. Nec dicatur*, Marescot. *lib.* 2. *var. cap.* 11. *num.* 5. & confirmat ex duabus Rotæ Romanæ decisionibus, Ludovisius *dec.* 217. *ex num.* 6. Ricc. *collect.* 3497. *&* 3854. Ratio est, quia per acceptationem mandatarii non fit novatio, nec delegatio perficitur, & per consequens obligatio manet firma, donec solutione dissolvatur, etiamsi negligentia exactoris accedat.

Contrariam sententiam huic ampliationi, quinimò 28
negligentiam creditoris, aut ejus, cui solvenda est pecunia, in exigendo, aut dilationem ab eo datam mandatario nocere creditori, seu danti pecuniam ad cambium, & prodesse mandatori, seu scribenti litteras ad liberationem credimus rationabiliorem, & verisimiliorem. Quam sequuti sunt Scaccia *de commerciis*, §. 2. *gloss.* 5. *num.* 325. Paschalis *de viribus patr. potest at.* 1. *part. cap.* 8. *num.* 71. *vers.* 2. *limitatio est*, Gaitus *de credito*, *cap.* 2. *titul.* 7. *num.* 2413. significat planè Pereira *decis.* 126. *num.* 3. *&* 4. & apertè favet loquens in fortioribus terminis Gratianus *tom.* 1. *discept. forens. cap.* 64. *num.* 23. *&* 24. Ratio est, quoniam æquum non est scribentem manere obligatum, quando per exactorem stat, quominus litteræ impleantur à mandatario, recuperetque oblatam pecuniam; utque sit in voluntate exactoris, & ejus libito duratio obligationis campsoris, seu scribentis litteras, & periculum decoctionis mandatarii, cui suppositus est, dum litteræ non exiguntur, imò verò justum, & rationi consonum, ut illi debeat imputari culpa, negligentia, & mora exigendi, & ex ea liberatio scribentis insurgat, saltem ope exceptionis doli, aut culpæ; neque novum est in jure, moram creditoris in exigendo oblatam pecuniam liberare debitorem à casu fortuito post contingente, quo pecunia pereat, ut docet Bart. *in l. si mora* 10. *num.* 8. & ibi latè prosequitur Barbosa *ex num.* 12. *ff. solut. matrim.* & probat *texeus in leg. qui decem* 72. *in princip. ubi Doctores, ff. de solut.* Certè de jure Neapolitano statutum est *in pragmat.* 5. *cap. seu*, §. 4. *de litteris cambii* (quod notavi *supra num.* 23.) ut illi, qui habent litteras cambii contra mandatarium, exigant illas intra dilationem, seu terminos stabilitos per *pragmat.* 3. *cap.* 9. *&* 10. *eodem titulo*, aut faciant protestationem intra quatuor dies à præsentatione litterarum, aut à lapsu prædictæ dilationis, seu terminorum, alioqui nullum possint habere regressum contra scribentem, qui maneat omninò liberatus, & periculum cedat in damnum ejus, qui pecuniam erat exacturus.

29 Ex his constat, à majori ratione dicendum esse, si scribens litteras cambii sciebat, mandatarium suum, seu eum, cui litteræ diriguntur, esse aut decoctum, aut fugitivum, aut decoctioni proximum, non liberari per acceptationem mandatarii, imò potius ex dolo suo manere obligatum, & obnoxium recursui illius, qui pecuniam dedit, idque tam juxta primam, quàm juxta secundam opinionem. Ita sentiunt Baldus *in l. pro debito* 6. *num.* 2. *in fin.* Salicetus *n.* 4. *C. de bon. author. jud. possid.* Socin. *in l. qui usumfructum* 58. *num.* 17. *ff. de verbor. oblig. & in leg. singularia* 15. *num.* 20. Jason. *num.* 40. Cagnolus *num.* 190. *si cert. petat.* Surdus *cons.* 145. *num.* 10. *lib.* 1. *& cons.* 528. *num.* 7. *&* 8. *lib.* 4. *& decis.* 23. *num.* 10. *&* 11. ubi refert conjecturas, ex quibus colligitur hæc scientia, Follerus ad Marantam *in praxi, part.* 6. *tit. de testium productione*, §. *Sextus actus*, *num.* 50. Mastrillus *dec.* 177. Benvenutus Stracca *de decoctoribus*, 5. *part. num.* 4. Gratianus *discept. forens. tom.* 1. *cap.* 64. *num.* 28. Scaccia *de commerciis*, §. 2. *gloss.* 5. *num.* 290. Gaitus *de credito*, *cap.* 2. *tit.* 7. *num.* 2393. Addo præsumi dolum adversus mercatorem, qui remisit litteras cambii solvendas ab eo, qui paulò post acceptas litteras decoxit, ut ex Baldo, Angelo, & Imola, tradit Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 3. *n.* 111. Ex quo consequens est, ut præsumatur scientia, ut dixit Natta *cons.* 342. *n.* 4. *tom.* 2. facit Castillo *decis.* 46. *num.* 6.

30 Quando verò dicatur quis proximus decoctioni, non est omninò expeditum, Stracca *de decoctoribus*, 3. *part. num.* 30. *&* 31. *post* Baldum *cons.* 399. *in libris Thesauriæ*, *num.* 2. *volum.* 5. dicit, tempus proximum decoctioni esse biduum, vel triduum, aut si hodie fugit, heri merces emit. Consonat Gratianus *discept. forens. tom.* 2. *cap.* 391. *ex num.* 10. Surdus *decis.* 326. *num.* 86. Gizarellus *decis.* 62. *num.* 3. *& num.* 12. *&* 13. Bellonus *autem decis.* 13. *num.* 39. hoc tempus proximum decoctioni limitat ad quindecim dies ante decoctionem, ob statutum particulare Genuæ.

31 Matienzus *in l.* 7. *tit.* 16. *lib.* 5. *Recopil. glossa* 5. *num.* 9. nullum certum tempus determinat, in quo quis dicatur proximus decoctioni; sed dicit, futurum esse modicum, & breve, simili modo loquitur Craveta *cons.* 44. *num.* 2. & Thuscus *littera F, conclus.* 483. *ex num.* 21.

32 De jure Neapolitano videtur statui hoc tempus proximum decoctioni spatium unius integri anni ante illam, *in pragmat.* 2. *decisione bonor.* dum denegat debitoribus beneficium cessionis bonorum, nisi debitum sit contractum per annum ante diem decreti, quo conceditur præ-

dictum beneficium. Quasi debitum infra annum contractum censendum sit fieri in fraudem creditorum, & à proximo decoctioni, & vide quæ ad eam pragmaticam notat Rovitus.

De jure Castellæ statutum est, tempus sex mensium 33
ante decoctionem censeri proximum decoctioni, *leg.* 7. *circa fin. tit.* 19. *libr.* 5. *Recopilat.* ubi contractus illius qui post spatium sex mensium à contractu foro cessit, seu decoxit, censetur contractus factus cum proximè decocturo.

Ego credo, esse relinquendum arbitrio judicis, quanto 34
tempore ante decoctionem quis dicatur decoctioni proximus, si res ex jure communi decidenda sit, cui etiam opinioni assentiri videtur Gizar. *dict. decis.* 62. *num.* 13. Quod confirmo, quoniam arbitrarium est judici, quis puer sit censendus proximus infantiæ, aut pubertati, ut egregiè, & eruditissimè probat Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 1. *casu* 57. *ex num.* 17. Covarruv. *de matrimonio*, 2. *par. cap.* 5. *n.* 7. Sanchez *de matrimonio*, *lib.* 1. *disp.* 51. *num.* 24. rejecta opinione *Gloss. in* §. Pupillus, *verb. Infantiæ proximus*, *Instit. de inutilibus stipulation.* quam sequitur Chircovius *in communibus opinionibus*, *littera P*, *num.* 35. *conclus.* 100. ergo eodem modo arbitrio judicis relinquendum est, quis sit censendus proximus decoctioni, & id planè sentit Surdus *dict. decis.* 326. *num.* 87. *&* Ursillus ad Afflict. *decis.* 402. *ex num.* 6. Omitto, apud prædictos Doctores inveniri multa, quæ faciunt pro lege Castellæ allegata, dum plurimi crediderunt, spatium sex mensium ante pubertatem completam censendum esse tempus pubertati proximum.

Tractant deinde Doctores circa litteras cambii, an 35
possit mandatarius, qui eas acceptavit, recusare solutionem illarum ex eo, quod scribens fuerit decoctus post acceptationem, & proinde deneganda sit hoc casu executio creditori contra mandatarium. Et dicendum est, non posse mandatarium detrectare solutionem litterarum cambii, quas acceptavit, ob decoctionem scribentis contingentem post acceptationem. Ita sentit Salicetus *in leg. si filius familias part.* 18. *num.* 2. *ff. ad Macedonian. & in leg. pro debito* 6. *num.* 4. *in fin. Cod. de bonis author. judic. possidend.* Follerius ad Marantam *in praxi*, *part.* 6. *titul. de testium productione*, *seu* §. *Sextus actus*, *num.* 54. Franchis *decis.* 303. Paschalis *de viribus patr. potestat.* 1. *part. cap.* 8. *num.* 70. Tepatus *in compendio variarum tit.* 366. *cap.* 18. *vers. acceptans litteras cambii*, Scaccia *de commerciis*, §. 2. *gloss.* 5. *quæst.* 11. *ex num.* 327. Gaitus *de credito*, *cap.* 2. *tit.* 7. *num.* 2396. Ratio est, quoniam mandatarius per acceptationem litterarum manet obligatus, ut dixi *supra num.* 22. Decoctio autem mandatoris hanc obligationem dissolvere non potest, & casus fortuitus decoctionis contingens post acceptationem debet esse damno acceptantis.

Amplia prædictam resolutionem, ut non possit manda- 36
tarius, qui acceptavit litteras, se excusare, quominus solvat, ex eo, quod antequam scriberentur litteræ, vel acceptarentur, mandator decoxisset, aut fuisset decoctus. Hanc ampliationem tradit Scaccia *dict. gloss.* 5. *quæst.* 11. *num.* 329. quem sequitur Gaitus *d. tit.* 7. *num.* 2398. Reddunt rationem, quoniam etsi decoctio faciat, ut decoctus mortuus censeatur quoad id, ne quid agere possit, Bellon. *decis.* 10. *num.* 12. *&* 13. *& decis.* 131. *num.* 3. *&* 4. Surdus *cons.* 405. *n.* 9. *&* 12. *lib.* 3. Thusc. *litter. D, concl.* 105. *& seqq.* Azeved. *in leg.* 2. *ex principio tit.* 19. *lib.* 5. *Recopil.* de jure Castellæ *d. lib.* 2. *leg.* 9. *&* 7. *eodem tit.* 19. *lib.* 5. *Recopil.* tamen decoctio non inhabilitat decoctum, ne alius pro eo solvere possit. Quare qui ejus litteras acceptavit, non potest se à solutione excusare. Nam, aut sciebat, cum acceptavit, mandatorem esse decoctum, & tunc planum est, eum voluisse solvere pro decocto, quod potest: aut decoctionem ignoravit, & tunc sibi imputare debet, quòd contraxit cum eo, cujus conditionem non debebat ignorare, *leg. qui cum alio* 19. *ff. de reg. jur.* certum est autem, inter scribentem, & acceptantem litteras celebrari contractum, quasi inter mandantem, & mandatarium, Bellonus *decis.* 52. *num.* 1. *&* 2. Fab. de Anna *cons.* 82. *num.* 15. Martha *voto*, *seu dec.* 84. *num.* 7.

Contrariam huic ampliationi sententiam, quinimò 37
decoctione mandatoris contingente, seu ante, seu post scriptas litteras, ante tamen acceptatas, quæ post decoctionem mandatoris acceptatæ sunt à mandatario decoctionem ignorante, si ante solutionem superveniat scientia decoctionis, justè posse mandatarium recusare

illarum solutionem, tuetur Fabius de Anna *cons.* 82. *ex num.* 11. & Paschalis *de viribus patr. potest. 1. part. cap.* 8. *num.* 70. Et probatur, quoniam mandatum censetur revocatum, & dissolutum ex mutatione status, tam mandantis, quàm mandatarii in deterius, Bart. *in l. si cum* Cornelius 82. *n.* 1. Paulus *n.* 2. *ff. de solut.* Decius *in l. rogasti* 11. §. *Si fugitivus*, *n.* 5. Jas. *n.* 3. *ff. si cert. petat.* Felin. *in cap. ex parte decani* 33. *n.* 21. *de rescript.* Socc. *cons.* 112. *n.* 12. & 15. *vol.* 1. Bursat. *cons.* 412. *n.* 26. *lib.* 4. Bernard. Diaz *reg.* 452. Menchaca *controvers. usufrequent. lib.* 2. *cap.* 22. Stracca *de decoctorib.* 3. *part. n.* 50. & 53. Bellon. *decis.* 1. *n.* 28. & *decis.* 2. *ex n.* 31. Martha *voto seu dec.* 84. Scaccia *de commerciis*, §. 2. *gloss.* 5. *num.* 402. Ergo sicut qui ante impletionem mandati scit, mandatum esse revocatum, justam habet excusationem, ne revocatum mandatum impleat: ita qui ignorans mandantis decoctionem acceptavit ejus litteras, si post ante solutionem scientia decoctionis superveniat, justè recusabit mandatum implere, & pecuniam litteris contentam solvere.

38 Ex quibus fit, ut prædicta ampliatio limitanda sit, cùm ignorantia decoctionis scribentis in acceptante litteras est justa, probabilis, & invincibilis, quæ nulli damnum debet afferre, §. *Item si adhuc*, *Instit. de mandato*. Quo casu etiam limitanda est regula *l. qui cum alio* 19. *ff. de regul. jur.* ut ibidem notavit Decius *num.* 3. *in fin.* Cagn. *n.* 15. ego dixi *priore* 10. *tit.* 1. *disp.* 2. *quæst.* 4. *num.* 244. & 245. Ex quo enervatur vis fundamenti prædictæ ampliationis, si universim, & sine limitatione esset intelligenda. Et hanc concordiam inter duas prædictas sententias secutus est Gaitus *dict. tit.* 7. *ex num.* 404.

39 Ad hunc eundem tertium casum pertinent Apocæ Bancariæ, quæ si à Banco, cui diriguntur, non solvantur, habent executionem paratam contra scribentem, in qua proceditur quemadmodum in liquidatione publici instrumenti via ritus, ut retigi supra *tit.* 2. *disp.* 8. *n.* 28. *in fin.* Et statutum est de jure Neapolitano *in pragmat.* 62. §. 2. & 6. quæ in novissima compilatione est *pragm.* 63. *de offic. Proc. Cæsar.* Dummodò prædictæ apocæ sint recognitæ à scribente, vel legitimè probatæ, quemadmodum de jure Castellæ quodcumque chirographum privatum recognitum habet paratam executionem, juxta *leg.* 5. & 6. *tit.* 21. *lib.* 4. *Recopil.* & tradita à Parladorio *lib.* 2. *rerum quotid. cap. fin.* 1. *part.* 5. §. notant scriptores Neapolitani, quos retuli prædicto loco.

SUMMA DISPUTATIONIS SEPTIMÆ.

1 *Supponitur casus tituli.*
2 *Pro capitali societatis competere executionem ex instrumento societatis ante redditam rationem, senserunt multi, & magni Doctores.*
3 *Executio liquidi non retardatur propter illiquidum.*
4 *Societas pro negotiatione semper præsumitur lucrosa.*
5 *Capitale societatis præsumitur salvum.*
6 *Instrumentum societatis non posse executioni mandari contra socium ante redditam rationem, secunda aliorum sententia.*
7 *In societate possunt contingere tres casus.*
8 *Capitale societatis liquidum est tempore contractæ societatis, tempore tamen finitæ illiquidum.*
9 *Tutor non tenetur ad restituendum ea, quæ in inventario scripsit, neque pro eis patitur executionem.*
10 *Secunda sententia habenda est pro regula, sed limitatur diversis modis.*
Limitatur primo, si apponatur ab initio pactum, ut restituatur integrum capitale finita societate, ut maneat apud ipsum socium, qui apposuit, donec finiantur computa, ibid.
11 *Secunda cautela, & limitatio, ut possit fieri executio pro quantitate capitalis ante redditam rationem.*
12 *Tertia cautela, & limitatio, ut possit instrumentum societatis executioni mandari pro capitali ante redditam rationem.*
13 *Quarta limitatio, in cujus casu potest procedi ad executionem pro capitali societatis ante calculum.*
14 *Liber rationum qua forma confici debeat.*
15 *Quinta limitatio, & de pacto, quod capitale sit salvum, & quomodo possit hoc pactum in societate substineri.*
16 *Pactum præcedens esse illicitum, & reprobatum, sententia quorundam.*
17 *Adhibitis quibusdam pactis & cautelis in societate posse sustineri pactum, quod capitale sit salvum.*
18 *Tres contractus adhibendos pacto, quod capitale sit salvum, ut substineatur.*
19 *Contractus assecurationis est licitus.*
20 *Illos tres contractus posse fieri inter easdem personas, quemadmodum inter diversas.*
21 *Contractus illi, quamvis non fiant expresse, sed solum tacitè, justificant, quod capitale sit salvum in societate.*
22 *Explicatur Bulla Sixti V. Pontificis.*
23 *Contractu societatis inito cum tribus illis contractibus, & facto de illo instrumento publico, poterit ex illo procedi ad executionem capitalis, non facto calculo.*
24 *Distinguuntur duo diversi casus quoad liquidandum instrumentum.*
25 *Capitale societatis non est liquidum ante redditam rationem.*
26 *Non satis est præsumptio, ut ex illa possit fieri executio, sed debet constare quantitas liquida ex instrumento visibili.*

DISPUTATIO VII.

Utrum possit fieri executio pro capitali societatis, vel administrationis, ante redditam rationem.

POnamus contractam esse inter duos societatem pro negotiatione mercium serici, vel cambiorum per instrumentum publicum, & guarentigium, quo constet alterum immisisse certam pecuniæ quantitatem in societate, alterum cui tradita est pecunia administranda, operas, & industriam, qui præpositus sit negotiationi, & acturus est omnia ad societatem spectantia. Dubium est, an finita societate illi, qui certam pecuniæ quantitatem socio administraturo tradidit, possit petere, & obtinere executionem virtute instrumenti societatis pro prædicta certa, & liquida pecuniæ quantitate capitalis ante calculatas rationes. 1

Prima sententia affirmat. Hanc tuetur Bald. *cons.* 152. *ad evidentiam*, *num.* 2. *vers. Ex his apparet*, *volum.* 3. & *cons.* 385. & *cons.* 493. *num.* 2. *volum.* 4. quem refert & approbare videtur Gregorius Lopez *in leg.* 10. *tit.* 10. *par.* 5. *gloss. ultim. in fin.* quo loco multi decepti sunt, credentes, illum allegare pro hac sententia Socin. *cons.* 265. *volum.* 2. quod illa glossa commemoraverat, sed forsan non viderunt, nam Socinus in dicto consilio nihil dicit ad hanc sententiam attinens. Videtur tamen illi adhærere *in l. pecuniam quam* 36. *num.* 10. *ff. si certum petat.* & *in leg. quibus diebus* 40. §. *Quidam Titio num.* 10. *ff. de condict. & demonstr.* ubi ait, instrumentum, in quo quis promisit certam quantitatem, nisi aliter ex calculo rationis appareret, esse purum, & executioni mandandum antequam ratio calculetur. Hujusmodi autem videntur esse omnia instrumenta societatis, quibus obligatur socius, qui administrat, restituere certum capitale, nisi aliter ex calculo apparuerit. In eadem sententia videtur esse apertiùs *cons.* 24. *ex num.* 33. *volum.* 1. & Benintendis, eum sequutus, *decis.* 90. *num.* 3. *in fin.* qui ait, sententiam Socini esse magis communiter approbatam, Decius *in d. leg. pecuniam*, *num.* 8. Alexand. *cons.* 170. *num.* 3. *lib.* 2. annuit Paulus de Castro *cons.* 345. 2. *part.* & Mantica *de tacit. & ambig. convention. lib.* 6. *tit.* 5. *num.* 7. sequitur Avendanus *de exequend. mand.* 2. *part. cap.* 29. *num.* 6. Baeza *de non meliorand. ration. dotal. filiabus*, *cap.* 36. *num.* 20. Petrus de Ubald. *in tractat. duobus fratribus*, 8. *part. num.* 42. *quæst.* 41. & 14. *part. num.* 10. Thuscus *litter. S. concl.* 303. *num.* 11. & *concl.* 304. *num.* 8. Gallesius *ad formulam Cameral. oblig. quæst.* 31. *num.* 3. & *ad eum locum*. Zachias *num.* 2. & 3. Scaccia *de appellat. quæst.* 17. *lim.* 9. *num.* 30. Amatis *decis.* 80. *n.* 28. & 30. Cavalcan. *de tutore, & curatore*, *num.* 263. Seraphinus *de privil. jurament. privil.* 77. *num.* 8. Gramat. *dec.* 58. *num.* 10. & 11. Cartarius *decis.* 74. tametsi ibi non agat de via executiva, Grassis *de exceptionibus*, *in præludio*, *num.* 55. Hieron. Gabriel. *cons.* 146. *lib.* 2. 2

Probatur primò hæc sententia, quoniam executio liquidi non retardatur propter illiquidum, *l. statu liber rationem* 5. *ff. de statu liber. l. si residuum* 5. *ubi Doctores, C. de distract. pignor.* & nos fusiùs prosequemur infra *disp.* 15. Sed fors, seu capitale societatis traditum ab initio socio administranti, seu factori societatis est liquidum. Ergo non debet impediri executio pro prædicto capitali ob incertitudinem, aut illiquiditatem lucrorum, aut damnorum, quæ ex societate obvenerunt, quæ per calculationem sunt liquidanda. 3

4 Secundò, quoniam societas pro negotiatione, & negotiatio semper præsumitur lucrosa, *leg. cura* 4. §. *de deficientium*, *ff. de muner. & honor. leg. semper* 5. §. *Negotiat. ff. de jur. immunit. leg. si defunctus* 10. *C. arbitrar. tutel.* Socin. *cons.* 24. *num.* 40. & 41. *lib.* 1. Joannes Lupus *in reperit. cap. per vestras*, *notabili* 6. & *ultimo*, §. 11. *n.* 8. *vers. Ex prædictis*, Gregor. Lopez *in leg.* 29. *tit.* 11. *part.* 4. *gloss.* 5. & *in leg.* 13. *tit.* 10. *part.* 5. *gloss.* 2. Bellonus *decis.* 173. *num.* 8. 10. & 11. Magonius *decis. Lucens.* 1. *num.* 36. Tepatus *in compendio variar. tom.* 2. *tit.* 365. *cap.* 5. *versic. In dubio & versic. Mercator*, Thuscus *litt. S. concl.* 310. *num.* 1. Joann. Baptist. Costa *de facti scientia, & ignorant. centur.* 2. *distinct.* 80. *numero ultimo*, Janinius *de citatione reali*, *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 14. Felinus *de societat. cap.* 20. *num.* 12. & *cap.* 24. *num.* 33. Ergo dum executio fit contra socium, aut factorem societatis pro solo capitali, securè fit, tanquam contra debitorem quantitatis liquidæ capitalis, apud quem ultra prædictam quantitatem capitalis præsumuntur remanere lucra negotiationis.

5 Tertiò, quoniam capitale societatis (quod ex prædicta ratione provenit) præsumitur salvum, nisi probetur damnum, & amissio, Bald. *dict. cons.* 385. & *cons.* 493. *num.* 3. *vol.* 4. Bellonus *decis.* 71. *num.* 2. *in fin.* & *dict. decis.* 173. *num.* 10. & 11. Cartar. *decis.* 74. *num.* 25. Avendan. *de exequend. mandat.* 2. *part. cap.* 29. *num.* 6. Escobar *de ratiocin. cap.* 21. *num.* 6. & 7. Ac proinde tutor executivè compellendus est nondum reddita ratione tutelæ, ut mobilia in inventario descripta restituat, ut judicatum refert Surd. *decis.* 184. *ex numer.* 3. & *cons.* 296. *numer.* 22. & 23. *libr.* 2. Igitur stante instrumento societatis executivo poterit peti executio pro capitali etiam ante calculatas rationes.

6 Secunda sententia negat, instrumentum publicum guarentigium societatis posse executioni mandari pro capitali contra socium, vel administratorem, aut factorem ante factum calculum, & discussionem, ex quibus constet, an ex societate provenerint lucra, vel damna, & an capitale sit salvum. Ita sentiunt Baldus *cons.* 61. *n.* 1. *vol.* 2. & *cons.* 214. *ut apparet ex tenore*, *num.* 1. *vol.* 4. Alexand. *cons.* 192. *libr.* 7. Ancharran. *cons.* 235. *prima facie dicitur*, *n.* 1. *ex vers. Præterea propter incertum*, Jason. *cons.* 100. *ex num.* 6. *vol.* 4. Hieronym. Gabriel. *cons.* 61. *num.* 16. *lib.* 2. Cephal. *cons.* 768. *n.* 14. & 37. & *cons.* 769. *ex num.* 1. & *num.* 11. *lib.* 5. Follerius ad Marantam *in praxi*, *part.* 6. *tit. de instrumentorum productione*, *seu actu* 8. *num.* 3. qui dicit, se ita practicasse, Decianus *responso* 60. *n.* 43. ubi ait, ante confectum calculum non posse scire socium, in qua quantitate remaneat debitor sui socii, Felicius *de societate*, *cap.* 31. *n.* 69. Cravetta *cons.* 231. *num.* 16. *vers. Undecimo considero*, & *cons.* 275. *n.* 13. *vers. Tertiò principaliter dubitatur*, Baeza *de decima uxoris*, *cap.* 2. *n.* 168. Gutier. *de tutel.* 3. *par. cap.* 1. *num.* 53. Cavalcanus *de tutore*, & *curatore*, *n.* 214. Fachineus *lib.* 8. *controversiarum*, *cap.* 58. Negusant. *de pignorib.* 5. *part. membr.* 1. *n.* 37. Parladorius *lib.* 2. *rerum quotidianar. cap. fin.* 1. *part.* §. 12. *limit.* 4. *num.* 35. Gramaticus *consil. civili* 114. *num.* 11. Barzius *dec.* 86. *n.* 40. Giurba *dec.* 15. *ex num.* 3. Escobar *de ratiocin. cap.* 21. *ex num.* 12. Cancer *variar. resolut.* 3. *part. cap.* 7. *num.* 328. *cum seqq.* & *cap.* 15. *ex num.* 314. Quorum quidam agunt de societate, alii de tutela, & utrique concludunt, ubicumque ratio reddenda est, non posse peti executionem pro quantitate liquida, donec fiat calculatio, & ex calculo appareat, quæ sit quantitas liquida, in qua restet reliquatus reddens rationem. Nec sat esse contineri in instrumento antecedenti, veluti in instrumento societatis, vel instrumenti inventarii quantitatem liquidam traditam reddituro rationes, ut possit pro illa peti, & obtineri executio ante calculatas rationes.

7 Fundamenta hujus sententiæ sunt. Primò, quòd in societate tres casus contingere possunt. Primus, ut sit lucrum, quo casu lucrum venit communicandum. Secundus, ut non sit lucrum, neque damnum, quo casu socius, qui apposuit pecuniam, perdit lucrum, sed capitale manet illi salvum; socius verò, qui adhibuit operam, perdit operam. Tertius, ut sit damnum, quo casu & perditur opera ex parte factoris, & minuitur capitale apponenti pecuniam. Ergo finita societate cùm nulla sit certitudo, quis ex istis casibus successerit ante calculatas rationes, non potest peti executio pro capitali, quod si successisset tertius ex prædictis casibus, fuisset diminutum, & ante confectum calculum cognosci non potest, pro qua quantitate fuerit diminutum, ac per consequens immaturè fieret executio, cum res sit dubia, *leg.* 1. *Cod. de execut. rei judic.*

Secundò, quoniam capitale quamvis sit liquidum tempore initæ societatis; tempore tamen finitæ non est liquidum, cùm certò sciri non possit ante calculatas rationes, an fuerit diminutum, *leg. Mutius* 30. *ff. pro socio*. Ergo pro illo non potest peti, neque concedi executio, utpotè pro quantitate illiquida, & quæ non incontinenti, neque breviter liquidari possit, cum liquidatio pendeat à calculo, cujus discussio longa est, & prolixa ex sua natura. 8

Tertiò, quoniam ob eandem rationem tutor non potest compelli via executiva ad restituenda ea, quæ in inventario descripsit, cum possit contingere, ut ostendat plus se impendisse in rem pupilli, quàm ipse habuerit, *l.* 1. §. *præterea si tutel. ff. de contrah. & util. act. tutel.* vel vendidisse mobilia in inventario descripta, aut quia servando servari non poterant, aut quia inutilia pupillo, aut ob necessitatem pupilli, *leg. lex quæ tutores* 22. *C. de administrat. tutel.* ut adnotarunt Alexand. *d. cons.* 192. *lib.* 7. Negusantius, Cancer & plurimi alii ex relatis *supra n.* 6. pro secunda sententia. Solùm potest condemnari, aut compelli ad reddendam rationem cum reliquorum restitutione; in redditione autem rationis tanta est connexio inter introitum, & exitum, receptum, & datum, ut non possit separari receptum à dato, neque confessio recepti noceat confitenti, non habita ratione dati, ut expenderunt Avendanus *de exequend. mand. 2. par. cap.* 10. *n.* 31. Bovadilla *lib.* 5. *Politic. cap.* 4. *n.* 78. Escobar *de ratiocin. cap.* 21. *n.* 22. qui alios allegant. Quo fit, ut ante redditam, & calculatam rationem nihil possit apparere liquidum, in quo sit reliquatus tutor, vel administrator, & pro quo possit executionem pati. Idem que prorsus sentiendum est de societate, in qua reddenda est per socium præpositum negotiationi, seu factorem administrantem negotia societatis, ratio omnium durante societate gestorum, ut cum multis notat Bellonus *dec.* 183. *num.* 5. 9

Ex istis duabus sententiis, ut nostrum adjungamus placitum, censemus, secundam habendam esse pro regula: Verùm esse limitandam. Primò, si in contractu societatis fuerit adjunctum pactum, ut capitale finita societate restituatur socio integrum, & ut possit socius petere, & obtinere executionem pro suo capitali ante calculatas rationes, ut maneat apud ipsum, dum rationes discutiuntur, & donec peragatur calculus. Ita sentiunt Avendanus *de exequend. mand. 2. part. cap.* 29. *n.* 6. *vers. Nec debet injustum*, Parlador. *lib.* 2. *rerum quotid. cap. fin.* 1. *par.* §. 12. *lim.* 4. *n.* 35. Cancer *var. res.* 3. *par. c.* 7. *ex n.* 324. Esob. *de ratioc. cap.* 21. *n.* 24. Giurba *dec.* 15. *n.* 9. §. *Aut nullus*, *vers. Socini tamen opinionem*, Utfillus ad Afflict. *dec.* 205. *n.* 7. qui refert sic judicatum in S. C. Neapolitano. Hoc autem pactum licitum est, & naturæ societatis non repugnans; præsertim cùm sit cautela ad evitandas fraudes, & dolos negotiatorum, qui ut retineant pecunias alienas sibi creditas, nunquam non fingunt incurrisse damna; & quemadmodum solitum est pecuniam socii, dum durat societas, & negotiatio, esse apud alterum socium negotiationi præpositum, qui administrat, simul cum lucris omnibus ex societate provenientibus; ita non est iniquum, ut finita societate integrum capitale socio, qui illud immisit, restituatur custodiendum, donec calculatio peragatur. Hoc enim magis fit propter cautionem, & securitatem socii ponentis pecuniam, ne propter malitiam, & subterfugia socii administratoris differentis rationes reddere, easque involventis, & intricantis, sua pecunia privetur, quàm quia sit semper illam retenturus. Nam facto postea calculo, & apparente, probatoque damno, facilè restituet socio pecuniam, quæ apud ipsum est ultra sibi debitum recepta. Neque resultat ex hoc, ut vi societatis capitale sit semper salvum, quod pactum esset suspectum de usura, sed ut sit salvum ad tempus interim, dum ejus probatur amissio. Quod dato esset gravamen temporale, est modicum, & parvi momenti, ac propterea facilè tolerandum, *leg. quoties* 2. *leg. univers.* 4. *C. de precib. imperat. offerend.* Et sicut in prædicta conventione statuitur, ut statim soluta societate integrum capitale redeat 10